

Franciscus Robortellus, a) acutissimus saeculi sexti decimi Criticus; quam eius auctoritatem nostra aetate, praeter Tib. Hemsterhusium b) et paucos alios, Ioh. Corn. Pauus ita sequutus est, vt hanc sententiam multis rationibus tueri et confirmare conatus sit. Alii vero assensisse reperiuntur Robortello haecenus, vt dederint atque concesserint, magnam harum Odarum partem a poëtis recentibus compositam esse, qui experiri ingenii vires voluissent, et videre, si forte assequi doctrinam Teii senis hoc in genere Carminum possent: sed in nonnullis tamen Odariis cernere sibi visi sunt vestigia certa eiusmodi venustatis et elegantiae, quae, nec ingenio, nec stylo, Anacreontis indigna esset censenda. Atque hanc de istis Carminibus sen-

ten-

a) de A. C. p. 103, adiuncta Gasp. Scioppii de A. C. Commentariolo, Amstel. a. 1662. 8. Verba Robortelli sunt, *Haec ego de generibus chartarum dicere volui, vt intelligatis omnem illarum usum et antiquitatem. Quare perridiculus est is, qui nuperime, editis quibusdam insul-*

*si hominis Graeci lusibus, Anacreontis Odas esse scribit, hoc vtens argumento, quod in cortice essent descripti; vt hac ratione scilicet nobis imponeret.*

b) ad Aristoph. Plut. p. 483: *Extant in illis, quae nomen Anacreontis gerunt, reliquiis Od. 38 —.*